



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo**

**Heislinger, Anton**

**Monachii, 1745**

Casus XLVI. De Confessione ad lucrandas Indulgentias plenarias  
necessaria.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40155**



## Casus XLVI.

*De Confessione ad lucrandas Indulgentias plenarias  
necessaria.*

**C**Um ad lucrandas Indulgentias Confessio, & contritio tanquam præscripta opera peragi jubeantur, hinc volens aliquas lucrari, ex suo Confessario

Quær. Utrum non sola Contritio ad hunc finem sufficiat?

### Synopsis.

1. Confessio Sacramentalis diversis formulis à Pontifice præscribitur.
2. Constituto in gratia non videtur esse necessaria Confessio ex cap. Omnis utriusque sexus.
3. Quia hæc tantum requiritur, ut certius tollatur obex consequendi Indulgentias.
4. Neque obest, quòd dicatur: *contritis; aut verè penitentibus, ac confessis.*

5. Non potest dici, num requiratur Confessio omnium, vel aliquorum tantum venialium.
6. Sacerdotes lucrari volentes Indulgentias non semper præmittunt Confessionem.
7. Sacra Communio est necessaria, quia per se, & non propter aliud, uti ipsa Confessio, exigitur.
8. Quia jejunium, eleemosyna præscribuntur, ut necessaria dispositio non autem ipsa Confessio, hinc illa, non autem ista, sunt necessaria.
9. Videtur solum addi Confessio, quatenus potest esse necessaria ad statum gratiæ.
10. Sententia non exigens Confessionem ob allata est probabilis.
11. Sed æquè probabiliter exigitur Confessio.

12. Quia est conditio, sine qua non conceditur Indulgentia.
13. Ad exigendam Confessionem potuit haberi prudens ratio.
14. Item, quia constitutis in mortali juxta quosdam est necessaria.
15. Probabilitas sententiæ negativæ non supplet defectum Confessionis ad Indulgentias requisitæ.
16. Nec obstat cap. Omnis utriusque sexus. n. 3.
17. Solvitur secunda ratio advers. n. 4. proposita.
18. Nec prodest sententiæ negativæ, quod contritione mortale deleri possit.
19. Sine fundamento advers. dicunt conjunctionem copulativam, ac sumi disjunctivè.
20. Confessio omnium venialium non est necessaria.
21. Neque praxis Sacerdotum non semper Confessionem præmittentium aliquid probat.
22. Negantibus est probandum, Confessionem habere rationem solius medii.
23. Tò contriti in Bulla sumitur in genere.

24. Concluditur, utramque sententiam esse probabilem, affirmativam verò tutiorem.

### Resolvitur Quæsitum.

*De necessitate Confessionis ad lucrandas Indulgentias.*

**Q**uædam Bullarum Indulgentias fidelibus concedentes faciunt mentionem de Confessione: aliæ autem de hæc tacent, quæ mentionem faciunt de illis, utuntur ut plurimum hæc verbis: *præmissa, aut facta Confessione concedimus (Indulgentias) omnibus verè pœnitentibus, & confessis.* hæc forma habetur expressa in jure: in *Extravag. de pœnit. & Remiss. & in Clem. unica.* Item: *contritis & confessis.*

Quòd si Pontifex sufficienter, atque expressè in sua Bulla Confessionem requisiverit, quod factum Authores communiter asserunt: si utatur hæc verbis: *præmissa, aut facta Confessione*, omnes affirmant, eandem ut conditionem, sine qua non fore necessariam. Dubitatur autem de mente Pontificis, quando posterioribus formulis fuerit usus:

U u u 2

sus:

sus : hīs scilicet : omnibus verè pœnitentibus , & confessis. Item : contritis , & confessis.

2 Afferemus itaque utriusque opinionis argumenta , & rationes , ut , quid in hoc puncto sentiendum sit , judicemus.

Qui constituto in gratia necessariam Confessionem esse negant. Primò ita argumentantur : ex cap. *omnis utrusque sexus* constat , usum Ecclesiæ esse , ut præceptum de Confessione intelligatur de mortalium Confessione : ergo etiam , quando in formula Indulgentiarum præcipitur Confessio , intelligenda hæc est de mortalibus : ergo qui caret mortali , non erit obligatus ad confitendum. Ita Suarez *disp. 52. sect. 3. n. 6.* Lugo *de Sacram. pœnit. disp. 27. sect. 7. n. 100.* Diana *tract. 4. de Bulla cruciata resol. 107.* S. Anton. *part. 1. tit. 10. cap. 3. §. 5.* Layman, Henriquez *lib. 7. cap. 12. num. 2.* Coninck *disp. 12. n. 38.* Navarrus *de Jubilæo notabili 18. n. 17.* Paludanus *4. dist. 20. q. 4.* Sylvester *Verbo Indulgentiæ n. 20.* Confirmant : Confessio simpliciter dicta solet intelligi de peccatis simpliciter dictis , quæ sunt lethalia : ergo tantummodo erit necessa-

ria Confessio mortalium. Prob. antec. præceptum de Confessione annua intelligitur duntaxat de mortalibus &c.

3 Secundò. Confessio peccatorum requiri solet , ut per eam certius , ac securius tollatur obex consequendi Indulgentias : sed peccata venialia non sunt obex : ergo &c.

4 Tertiò. Etsi habeatur mortale , iste tamen obex sufficienter removetur per contritionem : neque obest , quòd in Bulla dicatur : *verè contritis , aut verè pœnitentibus , ac confessis.* particula enim *ac* sumitur hìc disjunctivè , & idem sonat ac *vel.* in lege enim *sæpe. ff. de Verborum significationibus :* habetur , nonnunquam disjuncta pro conjunctis , & conjuncta pro disjunctis poni.

5 Quartò. Si requiritur Confessio venialium , vel erit necessaria omnium venialium , quæ tunc memoriæ occurrunt , vel aliorum tantum , non aliquorum tantum , non enim est ratio , hæc venialia potiùs , quàm alia subjicienda hìc & nunc esse clavibus. Sed nec omnium , quia nulla habetur ratio hujus requisi.

Quin-

- 6 Quintò. Huic sententiæ non minimum pondus addunt Sacerdotes probi, & docti, qui volentes lucrari Indulgentiam non semper præmittunt Confessionem.
- 7 Sextò. Quòd Communio exigatur, & præscribatur tanquam conditio, non autem Confessio, hæc est ratio, quòd Evcharistia per se, ac propter se postuletur, & hinc omnes volentes lucrari Indulgentias obliget ad illam accipiendam: quia autem Confessio solummodo præscribitur, ut certior, & securior medicina in mortali constitutis ad recipiendam Evcharistiam, vel recipiendum effectum Indulgentiarum, qui est remissio pœnæ temporalis: ergo hæc non absolutè, sed sub conditione peccati mortalis inexistentis exposcitur.
- 8 Confirm. Reliqua opera, ut jejunium, elemosyna, templorum visitatio non præscribuntur ut necessaria dispositio ad fructum Indulgentiarum percipiendum: ipsa verò Confessio taliter præscribitur: ergo hæc solum conditionatè: reliqua verò opera absolutè sunt præscripta.
- 9 Septimò. Hæc verba *contritis*, & *confessis*, vel ita sonant, ut contritio sumatur strictè, & ut est vera, ac propriè dicta contritio delens ex se mortalia: vel sumitur pro attritione, quæ est dolor imperfectus, ex se non delens mortalia extra Confessionem. Item verbum *contritis*, vel sumitur in genere ac universaliter, prout abstrahit à perfectò, & imperfectò dolore: nullum potest dici: ergo. Non primum. Prob. hac ratione ad lucrandas Indulgentias non sufficeret Confessio cum attritione peracta, sed necessaria foret perfectà contritio: hoc est contra omnes: ergo hoc non potest dici. Sed neque secundum: quòd scilicet necessaria sit attritio ex inferiore motivo, quam amoris Dei super omnia dilecti procedens, aliàs habens perfectam contritionem & confitens non lucraretur Indulgentias: quod iterum est falsum: ergo necessariò contritio ibidem sumitur in genere: consequenter rectè exponitur Confessionem addi, non, quòd hæc semper requiratur, sed quatenus necessaria potest esse ad obtinendum statum justificationis, removendo obicem culpæ mortalis.

10. Ex his rationibus argumentum pro hac sententia ita formari potest: quodcumque aliqua sententia & ab auctoritate, & à ratione est verè probabilis, tunc possum eandem sequi: atqui sententia negans necessitatem Confessionis est ab auctoritate, & à ratione verè ac certò probabilis: ergo licebit eam sequi.

11. Oppositam sententiam, quæ requirit Confessionem, ut necessariam defendunt Fagundez, Sotus, Vivaldus, Corduba, Thomas Sanchez vocans hanc sententiam communiorem, pro ea citat etiam plures Auctores Diana p. 1. resol. 107. & p. 3. tract. 4. resol. 120. Dicastillo sententiam istam affirmat esse probabilem de pœnit. tract. 9. disp. 2. dub. 10, tutiorem, & in praxi consulendam: eam ipsam probabilitatem agnoscunt ferè omnes contrariæ opinionis Auctores.

12. Ratione ita probatur, si Confessio etiam venialium necessaria est tanquam conditio, sine qua non, casu, quo in Bulla sit expressa, tunc determinatè illa requiritur: sed: ergo &c. major constat, omnis enim Indulgentia concessa est instar cujusdam

contractûs innominati, *do, ut facias*: ergo sicut contractus ex conventionione legem accipere dignoscuntur argumento *Regule &c. in 6.* ita etiam Indulgentia. Dein, quod promittitur ob causam, causâ non secutâ, accipi non potest: ergo dum Indulgentia datur, si Confessio fuerit peracta, hæc autem ommissa fuerit, non dabitur promissa Indulgentia.

Probatur itaque minor: Confessio est æquali modo expressa, sicut expressa est Communio, & certa oratio ad determinatum finem peragenda: ergo sicut Communio, & oratio sunt conditiones, sine qua non, ita etiam erit Confessio: probatur antec. in Bullis, vel hæc verba ponuntur: *omnibus sua peccata confessis concedimus Indulgentiam: aut præmissa, & facta Confessione:* vel ponuntur hæc duo participia: *pœnitentibus, & confessis, seu omnibus contritis, & confessis. item: qui confesse, & sacra Communione refecti:* ergo æqualiter fit mentio de Confessione.

Probatur nunc prioris enthymematis consequentia: si Confessio æquè exprimitur, ac Com-

munio, & Oratio, tunc si istæ posteriores requiruntur tanquã conditio, sine qua non, nulla ampliùs assignari potest ratio, cur Confessio non sit conditio, sine qua non, licet sit Communio, & oratio, ipsisque adversæ sententiæ Patronis incumbit probatio, in hoc tantum sensu, quem ipsi intendunt, locutum fuisse Pontificem. 2. dõ. Indulgentiæ sunt explicandæ taliter, qualiter sonant: sed prout sonant, requirunt Confessionem tanquam conditionem, illo ipso enim modo, attendendo ad sensum verborum, fit mentio de Confessione, quo fit mentio de cæteris. 3. tiõ. Major pars Doctorum concedit, confessionem tanquam conditionem, sine qua non esse necessariam in Jubilæo, cum Pontifex solius Confessionis mentionem facit: ergo etiam si addat *contritio, & confessio*. Probatur conseq. præsumendum est, Pontificem semper esse ejusdem mentis, nisi clarè contrarium expresserit: ergo &c.

13 Probatur ulterius: potuit Pontifex habere rationabilem, ac prudentissimum finem, ob quem

Confessionem tanquam conditionem, sine qua non requisiverit, probatur: potuit per hoc velle inducere homines ad Confessionem supererogatoriam, ut tutiori remedio in gratia constitutus impetret efficacius finem Indulgentiarum: ergo &c.

Probatur denuo: Commu-<sup>14</sup> nior, & major pars Authorum docet necessariam esse Confessionem tanquam conditionem, sine qua non, respectu constituti in peccato mortali: ergo etiam respectu habentis sola venialia. Probatur conseq. verba sunt universalialia, & debent accipi, prout sonant: dein eadem ratio pugnat pro conscio venialium duntaxat, quæ pugnat pro habente mortalia: ideo enim hic posterior obligatur ad Confessionem, ut securior sit ratione statûs gratiæ: atqui etiam nullus mortalis conscius est securior de statu gratiæ, cum etiam inscius possit mortali esse infectus: dein etiam mortalis reus potest elicere contritionem, consequenter aliam viam habet se disponendi ad Indulgentiam.

Confirmatur 2. dõ. Etiam-<sup>15</sup> si adversariis transmittatur aucto.

toritate saltem extrinseca probabiliorem esse sententiam, negantem, quòd Confessio venialium sit necessaria, hoc tamen minimè est certum, ita ut aliquis certò impleat re ipsa conditiones requisitas, ut Indulgentias consequatur, cùm sententia requirens Confessionem sit valde probabilis, & tam intrinsecè, quàm extrinsecè: ergo, ut omne dubium tollatur, dicendum potius est, requiri Confessionem venialium: sicuti enim Sacramenta, licèt prudentissimè recipiantur, non operantur suos effectus ex dispositione existimata, si ipsa requisita à Christo, de facto & in re ipsa non existant: ita neque existimata, licèt prudentissimè impletio operum à Pontifice requisitorum operabitur suum effectum, seu Indulgentiam, si non omnis à Pontifice requisita in re ipsa conditio fuerit impleta: utriusque enim valor pendet à voluntate concedentis.

16 Neque obest, quòd argumento Capituli: *Omnis utriusque sexus 24. c. 5. decret. de penitentis, & remissionibus mortalium duntaxat Confessio præcipiatur: ne-*

gatur enim suppositum, quòd in casu nostro absolute præcipiatur Confessio, eo ipso, quòd Pontifex non præcipiat, ut lucremur Indulgentiam: ergo est res merè voluntaria, ita ut Pontifex velit etiam opera supererogatoria ponenda esse, ut lucremur Indulgentias, quòd utique vel maximè constat in jejuniis, respectu senum præscripto, etiam si isti ad illud non obligentur. Hinc sapientissimè annotavit P. Fagundez asserens Confessionem esse unam *ex præcipuis conditionibus, quæ instar legis directivæ ab omnibus requiratur, ita ut per accidens conferri debeat, aliquem esse in statu gratiæ, & Pontifex hic plus requirit, quàm aliis in Confessione annua: cùm Summi Pontifices neminem obligent ad comparandum Jubileum, sed solum invitent.* Ex his etiam facile eruitur responsio ad confirmationem ibidem subjunctam: dist. etenim antec. Confessio simpliciter dicta solet intelligi de peccatis simpliciter dictis, in præceptis Ecclesiasticis: conc. in casibus, quibus agitur de favoribus, & gratiis, quæ sub conditione certæ fidelium libero arbitrio offeruntur,



tur, negatur antec. & sub eadem distinctione conseq. patet res in jejunio Jubilæi tempore præscripto.

17 Ad secundum oppositæ sententiæ dicimus, ab adversariis probari non posse, Confessionem duntaxat requiri ad sublationem obicis tanquam finis adæquati à Pontifice intenti: præter hunc etenim finem intenditur etiam Confessio tanquam speciale aliquod opus bonum, vel ut etiam latens peccatum mortale, obicem Indulgentiæ, tanquam certius remedium removeat.

18 Tertio. Licet mortale per contritionem deleri valeat, verba tamen expressè Confessionem exigunt, cum igitur Indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant, erit Confessio necessaria, quia est certius remedium tollendi hunc obicem. Dein quæro ex adversariis illis, qui forsitan tuentur, ut liberetur anima expurgatorio per Indulgentias menstruas, non esse necessariam, ut lucrans sit in statu gratiæ, an sit necessarium, ut præmissa fuerit Confessio? non enim potest requiri, ut subjectum disponatur, neque ut dignè ad Communio-

nem accedamus: in hunc enim ultimum finem non debuit exprimi Confessio, cum aliud præceptum Ecclesiasticum sufficienter obliget: ergo præcisè recipitur Confessio in Menstruis Indulgentiis tanquam conditio, sine qua non.

Dum autem in hoc tertio ar. 19 gumento dicunt conjunctionem copulativam ac sumendam esse disjunctivè, quando in Bulla dicitur: verè poenitentibus, ac confessis, gratis, ac sine fundamento id asserunt: licet etenim subinde particula conjunctiva sumatur disjunctivè, hoc tamen testante Azorio *part. 1. instit. suarum moralium.* solummodo tunc fit, quando membra illa, quæ mediante tali propositione copulantur, sibi invicem repugnant, neque sunt compossibilia, quod tamen hic & nunc minimè verificatur.

Ad quartum respondeo, non esse necessariam Confessionem omnium venialium, sed aliquorum ad arbitrium consentium, non secus, ac obligatus ex voto ad dandum equum Ecclesiæ satisfacit, quemcunque tandem tradiderit: deberentque hoc

X x x

om.

omnes concedere, si Pontifex expressè petisset Confessionem, sive aliquis esset sibi conscius, sive non, quod utique tanquam impossibile nequaquam negabunt.

21 Quintò. Praxi Sacerdotum non semper præmittentiū Confessionem opponere possumus praxin contrariam sæcularium, 2. dō. habetur tantum in praxi, quod non illo ipso die semper confiteantur Sacerdotes, bene autem pridie, aut diebus duobus ante. 3. tiō. Accommodant se tales sententiæ oppositæ ab auctoritate, uti etiam à ratione probabili: neque dicas Confessionem in nostris principiis illo ipso die esse peragenda, cum lucratur Indulgentiam v. g. menstruam, sicuti Communio, & oratio sunt peragenda: contra enim est: si enim loquamur de Jubilæis, juxta communem Auctorum sufficit, confessionem peragi uno vel altero die ante: in mensuris autem expressè requiritur, ut Communio, & oratio die Dominica peragatur: cum igitur hoc non exprimat circa Confessionem, supponere possumus, eandem ad has Indul-

gentias lucrandas non strictius necessariam fore, quàm esse solet ad Jubilæum: demum quia singularis difficultas foret in audiendis tot confitentibus intra unius diei Dominicæ antemeridianum tempus, prudentissimè censemus Pontificem nobiscum sentire.

Ad quintò locò factam objectionem respondetur, adversariis probandum esse, quod Confessio præcisè in tali Bulla præscribatur ut medium, & non per se, ut conditio, sine qua non: certum enim est, quod ita possit exigi: & si attendatur sensus verborum, est iste nostræ opinioni nequaquam contrarius. Hoc ipsum ad confirmationem subjunctam, quæ ex reliquis operibus per se præscribi solitis petita fuerat, respondetur.

Ad ultimam adversariorum rationem repono, tō contriti sumi in genere, atque idem sonare, ac *pœnitentibus*: addimus tamen, rationes nostras sufficienter probare, Confessionem non fuisse solummodo additam in ordine ad habilitandū subjectum, ad recipiendam gratiam, sed per se, ac ratione sui.

Ex a

24 Ex productis utriusque sententiæ rationibus apparet, quamlibet harum opinionum ab auctoritate, & à rationibus esse probabilem, tutiorem autem affirmativam, quia probabilitas non supplet defectum conditionis à Pontifice requisitæ; quod

constat in Sacramentis, quæ ob defectum conditionis ad illorum valorem requisitæ nequaquam evadunt valida, etsi probabilis sit sententia hujusmodi conditionis necessitatem denegans.



## Casus XLVII.

De Intentione, cum qua præscripta ad Indulgentias opera sint faciendæ.

3 **S**Empronius, dum die Sabbathi confitetur, non est memor Indulgentiarum sequenti Dominica lucrandarum, consequenter eandem non ordinavit ad lucrandas sequentis diei Indulgentias, interea tamen S. Communionem, & cætera præscripta animò lucrandi Indulgentias exercet.

Queritur: Utrum lucratus fuerit Indulgentias?

### Synopsis.

1. Resolutio dependet ex eo, utrum omnia opera cum intentione lucrandi Indulgentias sint obeunda?
2. Omnia præscripta opera sunt ordinanda ad finem determinatum, si ad istum obtinendum à Pontifice sint præscripta.
3. Rationes hanc ordinationem non exigentium afferuntur.
4. Juxta Laymannum, & Gobat habitualis saltem ac interpretativa intentio est necessaria.

Xxx 2

5, Utc